

**Dissertatio inauguralis chirurgica de frenulo linguae ejusque incisione /
[Christian Karl Lang].**

Contributors

Lang, Christian Karl, 1764-
Loder, Just Christian von, 1753-1832.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Ex Officina Fickelscherrio-Stranckmanniana, [1785]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/t44nunqk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS CHIRVRGICA

DE

FRENVLO LINGVAE EIVSQUE INCISIONE

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL. REL.

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

P R A E S I D E

IVSTO CHRISTIANO LODER

PHIL. ET MED. D. MED. PROF. PVBL. ORD. REL.

PRO GRADV DOCTORIS

IN VTRAQVE MEDICINA

A. D. IX APRIL. CLXXXV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR


CHRISTIANVS CAROLVS LANG

ROEMHILDA - FRANCVS.

I E N A E

EX OFFICINA FICKELSCHEKRIO - STRANCKMANNIANA





PROOEMIUM.


Inter imperitarum obstetricum errores praecipuum locum occupat incauta illa frenuli linguae solutio, quam plerumque sine vlla necessitate instituere solent. Simulac enim natus est infans, ori temere iniiciunt digitos, et linguam vel vnguibus vel forfice solvere tentant, sibi que persuadent, fore, vt infans nec fugere nec prouectiori aetate loqui possit, nisi hoc auxilio ipsi subueniant.

Non vero mulierculae vnicae sunt, quas huius erroris arguere debeas, nam et Chirurgi haud raro in ipsum incidunt; immo venit mihi in mentem Medicus quidam, qui, (mirabile dictu) puellae mutae, decem circiter annos natae, binis vicibus frenulum eum in finem incidi iussit, vt ipsi loquelam pareret, qua tamen non ex linguae vitio sed propter surditatem natiuam destituta erat.

Variis autem, iisque grauissimis ac funestis, incommodis obnoxia est temeraria illa frenuli linguae solutio, ideoque pro re vilioris momenti ha-



benda non est, nec indigna videtur, quae peculiari tractatione exponatur. Sumsi igitur hoc argumentum scribendi, cum mihi ex instituto gratiosi Medicorum Ordinis pro gradu Doctoris specimen inaugurale exhibendum esset, in eoque pertractando, quae alii hanc circa rem diuersis in locis iam monuerunt, colligere, et meis qualibuscunque ratiociniis augere studui. Liceat autem iuueni, cui propria experientia deest, aliorum obseruationibus niti, et in hoc tantummodo desudare, vt pro virium tenuitate humanitati profit, ea repetendo et in animum reuocando, quae iterata repetitione nouaque commendatione interdum egere videntur.





§. I.

Sub *frenuli*, quod et *ligamentum* siue *vinculum linguae* audit, nomine intelligimus, *plicam* siue *duplicaturam*, quae a cute, interiorem et inferiorem oris partem atque *gingivas* inuestiente, enata adscendit, in medio superficiei inferioris linguae ad apicem usque progreditur, ibique in inuolucro linguae euanescit. Eleuato et paullulum reflexo apice linguae, sub forma membranulae triangularis in conspectum venit, cuius apex apicem linguae, basis autem *gingivas* dentium incisiuorum inferiorum respicit, eo loco, ubi ductus WHARTONIANVS siue canalis excretorius glandulae



maxillaris in quouis latere aperitur, id quod nimirum ad latus baseos huius membranae triangularis fit. *)

Proprium sibi ligamentum fingit *Io. Lud. PETIT* **), quod frenulum illud constituat, et altero apice eminentiis ossis in superficie interna symphyseos maxillae inferioris obuiis, altero vero superficiei inferiori linguae adhaereat. Hoc ligamentum communi illa membrana, quae oris interiora circumuestrit, obtectam, immo fibris muscularibus non plane destitutam esse contendit.

§. II.

Vasa sanguifera conspicua sunt, quae in vicinia huius frenuli inueniuntur, eique furculos minores praebent. Sub ipso enim frenulo ad apicem vsque linguae in quouis latere decurrit *arteria*, quam *raninam* vocant, e trunco arteriae lingualis, quam carotis externa siue facialis praebet, enata. Haec ipsi linguae substantiae magis immersa, quam vena eiusdem nominis, ad apicem linguae cum altera ex opposito latere confluit, et arcu formato egregia anastomosi cum illa iungitur. *Vena* eiusdem nominis, quae duplex interdum est, sanguinem ab apice linguae ad latus frenuli reuehit, tandemque in venam lingualem venae iugulari internae insertam terminatur. Cui propior est truncus venosus, quam arteria, ideoque statim

*) *VESAL. de hum. corp. fabr.* (Bas. 1555) Lib. II. C. XIX. pag. 303. *WEITERECHT Syndesmol.* Sect. VI. §. II. pag. 208. *HALLER de part. C. H. fabr. et funct.* T. VII. pag. 301. *System of Anatomy from Monro etc.* (Edinb. 1784). Vol. II. p. 196.

**) *Traité des malad. chir.* T. III. c. 14. §. I. pag. 261.



tim in conspectum venit, cum linguae apex paululum eleuatur aut reflectitur.

Nerui vicini è ramo linguali rami tertii quinti paris, nec non e neruo nono siue hypoglossò proueniunt. Pertinent ad ipsam linguae substantiam, et profundiozem cursum tenent, ideoque in hac frenuli descriptione breuiter tantum a nobis indicantur.

Ductuum WHARTONIANORVM egressus supra iam indicauimus.

§. III.

Vsum frenuli linguae VESALIUS *), summus Incisor, triplicem quaerit: *nisi enim, inquit, id esset ligamentum, 1) lingua nimium aliquando retrorsum in se colligeretur, 2) nec facile exserta intro traheretur; 3) praeterea neque sedem obtineret stabilem et tutam, ut quae undique esset soluta.*

Quod linguae exsertae retractionem attinet, musculorum ope illam fieri potius crederem. Reliquos autem frenuli vsus, quos VESALIUS egregie explicauit, luculenti modo confirmatos videmus illis incommodis, quae vel propter nimiam huius vinculi laxitatem, vel post temerariam et non necessariam eius discissionem ac linguae inde enatam praternaturalem volubilitatem, exorta sunt. Vt enim balbutiem recticeam, quam inde subsecutam esse legimus **), occurrunt
exem-

*) I. c. pag. 303.

**) PETIT *mal, chir.* T. II, pag. 266.



exempla in scriptis obseruatorum, *) vbi infantes, quibus frenulum laxum erat, ipsum linguae apicem in fauces vsque retraxerunt, ideoque, suppressa inde respiratione, suffocati sunt. Pari modo Aethiopes, infelicissimo seruitio in Indiis vexati, frenuli extensione et linguae deglutitione sibi mortem intulerunt, vt tyrannorum suorum crudelitatem effugerent. **) Similis linguae deglutitio spontanea inter aues obseruata fuit in tetraone vrogallo LINN. ***) de quo iam PLINIUS retulit, *quod moriatur contumacia, spiritu reuocato.* ***)

§. IV.

Quemadmodum autem nimiam linguae volubilitatem animaduertimus, cum frenulum laxum est aut plane deficere videtur; ita e contrario linguam quasi immobilem, fixam et depressam deprehendimus, si idem vinculum nimis arctum et breue, aut, vt CELSVS loquitur †), si a primo natali die lingua cum subiecta parte iuncta est, id quod *ancyloglossum* vocant. Hoc in casu infans nec rite fugere, nec, vbi adoleuit, verba articulate pronunciare potest, nisi retinaculum aut vinculum illud soluatur.

§. V.


*) PETIT. l. c. pag. 267 sqq.

**) PETIT in *Mém. de l'Acad. des Sc. de Paris* 1742. pag. 253.

*) BUIFON *Naturgesch. der Vögel*, edit MARTIN. Vol. V. pag. 16. MARTINI *allgem. Gesch. der Natur*. Vol. III. pag. 512.

*) PLINII *hist. mund.* L. X. c. 22.

†) *de re medica* L. VII. cap. XII. §. 3.



§. V.

Iam ad signa procedimus, quibus frenuli laxitatem aut nimiam breuitatem cognoscimus. Illam suspicamur, si infans, ceterum sanus ac vegetus, suffocationis in periculo versatur, atque, si, dum os ipsi aperitur, non lingua, sed potius massa carnosâ, quae viam ad fauces occludit, in conspectum venit. Hisce signis si adstantium relatio de praegressâ frenuli sectione accedit, nulla prorsus dubitatio de causâ mali remanebit. In adultis frenuli laxitas aut nimia longitudo tum ex praeternaturali linguae volubilitate, tum ex ipsâ frenuli inspectione adparet; et in his quoque vinculi huius sectio praegressâ plerumque in causâ est.

Arctum vero et nimis breue esse frenulum cognoscimus, si digito ori immisso linguae apicem ad gingiuas maxillae inferioris firmiter adpressum sentimus, adeo, ut leuari et sursum moueri nequeat; porro, si infans linguam sub clamore neque palato adprimit, neque supra labrorum oras exserit *), denique si infans fugere plane nequit, et digitum ori immissum non adtrahit aut lingua ita leniter premit, ac si fugere vellet. In adultioribus, qui ex hoc frenuli vitio loqui non possunt, ex immobilitate linguae et ex ipsâ partis inspectione facillime malum cognosci potest.

§. VI.

Quod si autem infans lac e mamma, quam mater ipsi porrigit, educere nequeat, non statim frenuli breuitatem accusa-

*) HEISTERI *inst. chir.* part. II. sect. II. cap. 88.



cusare debemus; hoc enim est, in quo obstetrices plerumque errant. Tum vero inquirendum est, num fortasse sola mucii tenacioris copia linguam quasi adglutinatam teneat*), vel num ipsa mamma in causa sit, quod infans sugere nequeat. Mammae vitium adest, si papilla parum peruia, nimis dura, aut fortasse praemollis, praegrandis aut nimis parua est **). Nec statim ad frenuli incisionem propere debemus, ubi ex signis supra indicatis omnino cognoscimus, vinculum illud paullo arctius esse; si enim infans sugere potest, habemus cur sperare liceat, fore, ut frenulum sensim sensimque per se ac sine alieno auxilio distendatur, iustamque longitudinem adquirat.

§. VII.

Quamquam vero nimia frenuli breuitas facilis sit cognitu, tamen saepissime accidit, ut lingua soluta fuerit infantibus, in quibus nullum eiusmodi vitium occurrebat, si nempe obstetrices frenulum bene conformatum digito ori immisso sentiebant, ac pro vinculo praeternaturali aut morbofo habebant. Rarissimos esse casus, ubi reuera adsit illud vitium, omnes confirmant, qui eius mentionem fecerunt ***); immo SCVLTETVS * * *), ex centum millibus, qui nascuntur, ait, vnum fortassis esse infantem, qui hoc vitio laboret.

§. VIII.

Venio iam ad mali huius curationem, et quidem ad eam, quae nimiam frenuli breuitatem spectat.

Solent

*) *Mém. de l' Acad. de Chir.* III. hist. p. 16.

**) LEVRET *Essai sur l'abus des regles* Cap. IV. art. 2.

***) Conf. HEISTER l. c.

* * *) *Armamentar chir.* edit. SPROEGEL. pag. 90.

Solent obstetrices hoc vinculum vngue disrumpere *), quem paratum et acutum ad id perpetuo gestant **). Haec autem vnguium chirurgia valde vituperanda est, tum propter haemorrhagiae metum, tum quia membrana ista, quae satis valida est, non sine vehementi partium tensione dilacerari potest, ex qua deinde dolor ingens et inflammatio nec non tanta linguae et adiacentium partium intumescencia oritur, ut infans alimenta assumere non possit, ideoque ex nutritionis defectu attenuetur, immo plane exhauriatur. Tale exemplum refert SCVLTVS **): *Coniux, inquit, Jacobi Zimmermans peperit pulcherrimum filium, cui obstetrix ligamentum linguae vnguibus more suo incidit, ut in futurum articulate loqui posset. Huic operationi successit dolor et inflammatio, quae papillarum adprehensionem vel lactis potius suctionem infanti prohibuit. Parentes lactandi impotentiam linguae vinculo adscripserunt, et existimantes, quod obstetrix linguam nondum satis a vinculo liberauerit, vocarunt Chirurgum, qui pari imprudentia ligamentum et vasa linguae incidit, e quibus sanguis in asperam arteriam defluxit et foetum tertia die suffocavit. Extincto infante, mater coepit conqueri de tumoribus mammarum a lacte concreto, quorum dexter male tractatus tandem degeneravit in cancrum exulceratum, et feminam, post perpeffos grauissi-*

B 2

mos

*) FABRIC. HILDAN. *observ. chir.* Cent III. obs. 28. DIONIS *Cours d'opérat.* édit. DA LA FAYE part. II. pag. 624.

**) SAVCEROTTE *Untersuchung vieler Vorurtheile und Misbräuche,* pag. 61.

**) l. c. pag. 256.



mos dolores, enecavit. Eiusmodi exempla nostris quoque diebus occurrunt, placet autem illa silentio praeterire.

§. IX.

Frenuli amputationem vulgari illo phlebotomo, quo ad venae sectionem Chirurghi nostrates utuntur, a barbitonforibus nonnunquam peractam fuisse, apud SCVLTVM aliosque legimus. Quam inepte instrumentum illud, quod vellem e Chirurgia proscriptum esset, hoc in casu adhibeatur, et quam facilis sit vasorum raninorum per illud laesio, vberiori expositione non indiget.

§. X.

Instrumentum, quod scopo optime inferuire videtur, est forfex, cuius apex obtusus nec pungens est. Lingua, vel furcula globulis instructa, qualem HEISTERVS Tab. XXI. fig. 3. depinxit, vel spatula in extrema parte incisa, cuius iconem dedit idem Auctor Tab. I. lit P., vel alio eiusmodi instrumento *) commodè eleuari potest, ut frenulum in conspectum veniat. Digitis quoque aut per adhibitum lintolum, ne facile ex illis rursus elabatur, extrema lingua prehendi, et sic attolli potest. Ut infans os aperiat linguamque prodat, nares, ad consilium SOLINGENII *), digitis comprimì debent. Tum incisio ita fit, ut frenulum transuerse diuidatur, habita tamen in primis ratione ad orificia ductuum salivarium et ad vasa ranina, quae evitari nec laedi debent. Denique vero mater aut nutrix digito immisso linguam interdum

*) Vid. PLATNERI *Instit. chir.* Tab. V. f. 14.

**) *Manuale operationum*, Decl. I. cap. 45. pag. 90.

dum attollere et impedire debet, quo minus laciniae membranulae discissae iterum concrecant, cuius rei causa etiam pauxillum mellis, aut syrupi cuiusdam grati, aut sacchari subtilissime puluerisati vulnusculeo adplicari potest. Hunc quoque in finem SENNERTVS *) commendat linimentum balsamicum et adstringens e mastiche, thure, alumine vsto, farina hordei, melle et vitello ouorum compositum; abstinere tamen ab hac formula composita, et simplicioribus remediis vterer.

§. XI.

His licet instrumentis operatio commode perficiatur, tamen alia, eaque magis composita, eum in finem excogitata sunt, ut ii, quibus manus stabiles non sunt, frenulum secure diuidere possint. Laudatur inprimis a PETITO **) et PLATNERO **) ferramentum elatere instructum, cuius icones infra allegavi; sed displicet complicata huius instrumenti forma, praesertim quia in illo casu, ubi ob maximam frenuli breuitatem lingua fortiter maxillae adpressa est, locum non habet, nec tanta eius commoda esse videntur, quanta Auctores, quos indicauimus, illa praedicant.

§. XII.

Quocunque autem modo quibusue instrumentis linguam soluas, caue vasa ranina laedendo haemorrhagiam excites,

B 3

quippe

*) *Med. Pract.* Lib. IV de infant. curat. part. II. cap. 15.

**) *Mém. de l' Acad. des sc. de Paris* 1742. p. 258. et Tab. X, XI.
Traité des mal. chir. III. p. 278. et Tab. XXX et XLIV.

**) *Instit. chirurg.* §. 607. et Tab. V. fig. XV.



quippe quae hoc loco facile oculos effugit, periculo plena est, nec sine maxima difficultate compescitur. Multa apud Scriptores occurrunt exempla infantum, qui sanguinis ex istis vasis profluio enecati sunt. Ex his unicum tantum allegasse sufficiat. Sic apud DIONISIUM *) legimus, Chirurgum Parisinum celebrem puerulo, quem vnicum habebant parentes diuitiis et nobilitate generis conspicui, frenulum ita incidisse, ut vasa ranina simul laederentur. Peracta operatione Chirurgus abiit, cum infans bene ac facile fugeret. Lacti erant parentes, et nutrix infantem in incunabula deposuit. Qui cum deinde labia moueret, et deglutire videretur, nec nutrix nec parentes mali aliquid suspicati sunt, quia sibi persuadebant, infantem labiis tantum ludere, eundemque motum dormiendo continuare, cui vigil iam adsueuerat. Erat autem id sanguis e vasis laesis erumpens, quem infans deglutiebat, cuiusque effluxum continua suctione adeo promouebat, ut tandem palleceret, vitamque ipsam cum sanguine amitteret. Facta deinde cadaueris incisione, ventriculum sanguine deglutito repletum inuenerunt.

§. XIII.

Quodsi vero accidisset, ut vasa ranina laesa fuerint, ad compressionem et remediorum stypticorum adplicationem, immo ad ipsum cauterium actuale, confugiendum est. Splenoli complicati acetoque madidi sub lingua detenti usum commendat HEISTERVS; alii laudant spiritum vini rectificatissimum aut aquam RABELLIANAM; ROONHVYSIUS **), sua experien-

*) *Cours d'opérat.* édit. DE LA FAYE, part. II. p. 625.

**) *Genees en heelkonstige Aanmerkingen* part. II, cap. 3.

rientia edoctus, vitriolo coeruleo inprimis fauet, quippe quo sanguinem ex arteria ranina vehementer profilientem compescuit. Nec agarici vsus spernendus est, si compressio simul adhibetur, quae vel digiti ope fit, vel peculiari instrumento, quod PETITVS hunc in finem excogitavit *) maximisque laudibus extulit. Sumsit nimirum ramulum betulae, ex quo duo furculi exhibant, eumque tali modo scalpsit, ut furculam formaret, cuius manubrium quatuor lineas, quodvis crus autem octo lineas aequabat. Hanc furculam linteo rectam et inuolutam ita linguae adplicuit, ut manubrium maxillam inferiorem attingeret, angulus crurum vasis raninis laesis adprimeretur, ipsa autem crura sub lingua a dextro et sinistro latere collocata essent; quo facto illam retinuit fasciae ope, quae octo aut decem lineas latitudine et vnam longitudine aequabat, et ita adplicabatur, ut media eius pars per os supra linguam transiret, extrema vero sub mento ad laryngem decussata in regione occipitali ad mitram infantis acu figerentur. Tali modo lingua commode retinetur et vasa comprimuntur, adeo, ut sanguinem amplius fundere nequeant.

Vt vero, non solum ubi vas raninum laesum est, sed etiam post quamcumque linguae solutionem, ab haemorrhagia tutus esse possis, infantem dormientem per vnum alterumue diem semper attento animo obseruare debes, num labia moueat et sugere aut deglutire videatur, quo in casu statim examinandus est, ut sanguinem fortassis effluentem sistas.

§. XIV.

*) lib. saepius citat. pag. 286.



§. XIV.

Sub ipsa linguae resolutione caueas quoque, frenulum plane refeces; lingua enim, deficiente aut plane deleto vinculo suo, eidem vitio obnoxia est, ac si ligamentum illud laxitate nimia laboraret, de quo supra mentionem iam fecimus.

Si autem frenulum laxitate peccat, ideoque lingua nimis volubilis est, impedire debes, quo minus infans illam deglutiat et suffocatione pereat. Sufficit plerumque, vt, simulac infans expergiscitur, digitus ori immittatur, aut mamma ipsi praebeatur, tum enim fugit infans, nec linguam deglutire potest. Legi meretur apud PETITVM *) memorabile exemplum egregii successus huius consilii, quod tamen per tres fere hebdomades continua attentione adbibendum erat. Potest etiam bacillus eburneus planus ita ori immitti, vt ab vno oris angulo ad alterum supra linguam feratur, et extremitatibus suis, fasciae idoneae ope, sub mento figatur. In adultis fascia illa, quam Cl. PIBRAC **) et Cl. le BLANC ***) pro reunendis linguae vulneribus commendant, non inutilis erit; breuitatis gratia autem hanc non describere, sed ad libros ipsos B. L. ablegare liceat.

Hisce auxiliis frenuli laxitas nimia sufficienti modo compesci posse videtur, reliqua mali curatio naturae committenda est; potest tamen fortasse, praecipue in adultis, remediorum roborantium et adstringentium adplicatio quoque in vsum vocari.

§. XV.

*) lib. saepius allegato pag. 271.

**) Mém. de l'Acad. de Chir. III, pag. 418. Tab. IX.

***) Précis d'opérat. de Chir. Tom. I, pag. 13. Tab. I.



§. XV.

Supereſt, vt paucis animaduertam, ſolutionem linguae in adultis quoque locum nonnumquam habuiſſe, ſcilicet, cum nimia frenuli breuitas aut praeternaturalis eius ad apicem linguae extenſa longitudo impediret, quo minus articulate verba proferre poſſent. Non deſunt exempla in ſcriptis obſervatorum, quae docent, mutos nonnullos hac operatione inſtituta loquelam recuperaviſſe, *) licet tamen non ſemper, vt CELSVS recte monet, voto reſpondeat. In illis autem hominibus, qui ob ſurditatem loquela deſtituti ſunt **), frenuli linguae ſolutionem inſtituere, ridiculum eſt.

§. XVI.

Quae de filamentis aut membranulis praeternaturalibus, quibus interdum lingua vicinis partibus adnectitur, proferre poſſem, tum breuitatis cauſſa, tum quia ad rem meam non proxime ſpectant, hic praetermitto. Sufficiat dixiſſe, has ipſas adhaeſiones eodem modo eademque circumſpectione ſoluendas eſſe, qua frenulum linguae ſoluitur.

*) CELSVS *de re med.* Lib. VII. cap. XII. ſect. 3. FABRIC. HILDAN. *obſſ. chir.* Cent. III. obſ. 28. HELLWIG *obſſ. med. phyſ.* ROSENBERG *roſa. nob. iatr.* VYLHOORN in verſ. belgica HEISTERI *inſtitutionum chir.*

**) Conf. *Prooem.* noſtr.

T H E S E S.

I.

Vehementer errant, qui docent, libidini omnino cedendum esse, si magna seminis copia adest, ut morbo praecaueatur.

II.

Absorptio non fit per venas, sed vnice per vasa lactea et lymphatica, quae igitur proprie absorbentia vocantur.

III.

Non semper impedire debet glandularum axillarum intumescencia, quo minus cunctum mammarum cultro adgrediamur.

IV.

Abscessus perinaei aperiri debent, antequam fluctuationem in perinaeo percipiamus.

V.

Rarus esse debet instrumentorum usus in arte obstetricia, nec dantur multi casus, ubi instrumentorum usus absolute necessarius sit.

VI.

Secundinarum expulsio vbiuis fere Naturae committenda est.
